Fragmentarium

mici. Numquid federabitur ferrum ferro
aquilone et es? Divitias tuas et the-
sauros tuos in direptionem dabo gratis:
in omnibus peccatis tuis. et in omnibus ter-
minis tuis. et adducam inimicos tuos
de terra quam nescis: quia ignis succensus est
in furore meo super vos ardebit. Tu scis
domine recordare mei. et visita me: et tu-
ere me ab his qui persequuntur me. Noli
in patientia tua suscipere me: scito quoniam
sustinui propter te obprobrium. Inventi sunt
sermones tui: et comedi eos. Et factum
est mihi verbum tuum in gaudium. et in
letitiam cordis mei: quoniam invocatum est
nomen tuum super me domine deus exercituum. Non
sedi in concilio ludentium: et gloriatus
sum a facie manus tue: solus sedebam:
quoniam comminatione replesti me. Quare fa-
ctus est dolor meus perpetuus. et plaga mea
desperabilis renuit curari: Facta est mihi
quasi mendacium aquarum infidelium.
Propter hoc: hec dicit dominus. Si converteris
convertam te: et ante faciem meam sta-
bis. Et si separaveris preciosum a vili:
quasi os meum eris. Convertentur ipsi ad
te: et tu non converteris ad eos. et dabo te
populo huic in murum ereum fortem.
et bellabunt adversum te: et non preva-
lebunt: quia ego tecum sum ut salvem te.
et eruam dicit dominus. Et liberabo te de ma-
nu pessimorum: et redimam te de manu for-
xvi tium. Et factum est verbum domini ad me:
dicens. Non accipies uxorem: et non
erunt tibi filii et filie in loco isto: Quia
hec dicit dominus super filios et filias qui ge-
nerantur in loco isto. et super matres eorum
que genuerunt eos. et super patres eo-
rum de quorum stirpe sunt nati in ter-
ra hac. Mortibus egrotationum mori-
entur: non plangentur. et non sepelientur
in sterquilinium super faciem terre erunt:
et gladio et fame consumentur. Et erit
cadavera eorum in escam volatilibus celi
et bestiis terre. Hec enim dicit dominus. Ne ingre-
diaris domum convivii neque vadas ad p-
langendum. neque consoleris eos: quia ab-
stuli pacem meam a populo isto dicit dominus.
Misericordiam et miserationes: et morientur
grandes et parvi in terra ista. Non sepeli-
entur: neque plangentur. et non se incident:
neque calvitium fiet pro eis. et non frangent
inter eos lugenti panem ad consolandum
super mortuo: et non dabunt eis potum calicis
ad consolandum super patre suo et matre.
et domum convivii non ingredieris: ut se-
deas cum eis. et comedas et bibas. Quia
hec dicit dominus exercituum deus israel. Ecce
ego auferam de loco isto in oculis vestris
et in diebus vestris: vocem gaudii. et vo-
cem letitie. et vocem sponse. et vocem
sponsi. Et cum annuntiaveris populo hu-
ic omnia verba hec. et dixerint tibi quare lo-
cutus est dominus super nos omne malum grande
istud. Que iniquitas nostra. aut quod pec-
catum nostrum. quod peccavimus domino deo no-
stro: dices ad eos. Quia dereliquerunt
patres vestri me ait dominus: et abierunt post
deos alienos et servierunt eis. et adora-
verunt eos. et me dereliquerunt. et legem
meam non custodierunt. Sed et vos peius
operati estis. quam patres vestri. Ecce enim am-
bulat unusquisque post pravitatem cordis
sui mali: ut me non audiat. Et eiciam
vos de terra hac in terram quam ignoratis
vos et patres vestri: et servietis ibi diis ali-
enis die ac nocte. qui non dabunt vobis
requiem. Propterea ecce dies venit
dicit dominus. et non dicetur ultra vivit dominus
qui eduxit filios israel de terra egypti: sed
vivit dominus qui eduxit filios israel de
terra aquilonis. et de universis terris ad
quas eieci eos. Et reducam eos in terram
suam: quam dedi patribus eorum. Ecce ego mit-
tam piscatores multos dicit dominus: et
piscabuntur eos. Et post hec mittam eis
multos venatores: et venabuntur
eos de omni monte. et de omni colle. et de
cavernis petrarum: quia oculi mei super
omnes vias eorum. Non sunt abscondite a
facie mea: et non fuit occulta iniquitas
eorum ab oculis meis. et reddam pri-
mum duplices iniquitates. et peccata eorum:
quia contaminaverunt terram meam in mor-
ticinis ydolorum suorum. et abhominationibus
suis impleverunt hereditatem meam. Domine
fortitudo mea. et robur meum. et re-

STCBEC1001-7

License: public_domain – Cambridge, MA, Harvard University, Houghton Library, MS Typ 30.1, (seq. 14) – Jeremiah and Lamentations (https://fragmentarium.ms/view/page/F-zshm/1117/15743)